

PROGRAMMA PENTECOSTALE

*Quo*  
In honorem


# SPIRITVS SANCTI

Hospitis animarum nostrarum  
desideratissimi, demonstra-  
tur:

Apparitiones spirituum &  
animatorum quas hoc tempore Fa-  
natici, qui se illuminatos & Theosophos  
nominant, jactitant, esse incertas,  
falsas & periculosas.  
Nomine

RECTORIS AC SENATVS IN ACA-  
DEMIA REGIOMONTANA

*propositum*



REGIOMONTI  
Typis LAURENTII SEGEBADII  
ANNO M.DC.XXXVI.

295580

186

264046

**S**i celebramus sanctorum so-  
lennia: quanto magis ejus à quo habue-  
runt ut sancti essent, quotquot fuerunt sancti:  
Si veneramur sanctificatos: quanto magis  
ipsum sanctificatorem convenit honorari?

Bernb: serm: i. in die Pent: pag: 108. G. Non minore læti-  
tiâ celebremus hanc venerabilem Pentecostes diem,  
quam sanctum Pascha curavimus, eâdem devotione  
hujus solennitatis observantiam decurramus, sicut  
illius obsequia festivitatis implevimus. Est lætitia  
plane consimilis: tunc enim ab inferis resurgentem  
suscepimus Salvatorem, modo autem Spiritum San-  
ctum expectamus è cœlis: tunc nobis ad resurgendum  
tarâ Salvator aperuit; modo nobis ad regnandum  
Paracletus cœlestia reseravit. Ambrosius tom: 3. serm:  
60. p. 351. A. Curemus ergo, ut recte celebremus San-  
ctificatoris nostri festivitatem: Sanctificatoris, in quam  
gratiissimi, munificentissimi, potentissimi. Gratus  
noster est Sanctificator: quia ad homines venit. Mun-  
ificus est Sanctificator: quia amplissima dona adfert.  
Potens est Sanctificator: quia multis miraculis suum  
adventum contestatur. Gratiam suam demonstrat ad  
homines peccatores veniendo. Ad hos Santissimus  
mittitur, in hos mittitur, propter hos mittitur. Mitti-  
tur ad homines per verbi sonum, in homines per amoris  
ignem, propter homines per repletionis virtutem. O  
gratiam liberalis! O liberalis promptitudinem!  
O promptitudinem gratiosam! Hunc si habemus hospi-  
tem gratiosum, quid desiderabimus? Si contristemur,  
solatur; si periclitemur, auxiliatur; si labamur, erigit  
nos? Reducit errantes, conservat titubantes, confir-  
mat fluctuantes: In invio via est, in errore veritas,

in tenebris lumen, in morbo sanitas, in morte vita:  
mentis oculos illuminat, cordis tenebras discutit, vo-  
luntatis affectus moderatur, ut ea quæ vera sunt videa-  
mus, quæ bona sunt velimus, quæ pia sunt agamus,  
ne unquam mala patiamur. O gratiam desiderabilem!  
O desideratam gratiam! *Munificentiam* suam declarat,  
dona prolixa largiendo. Ad quos venit *Sanctificator*,  
eisdem adfert gratiam, quia *Spiritus gratiæ* *Eb:10. v. 29.*  
coſfert devotionem, quia *Spiritus precum* *Zach:12. v. 10.*  
dat sapientiam, quia *Spiritus sapientiæ* *Esa: 11. v. 7.*  
Concedit lenitatem, quia *Spiritus lenitatis* *1. Cor: 5. v. 2.*  
confirmat promiſſiones, quia *Spiritus promiſſionis*  
*Eph: 1. v. 13.* Ubi hic est, ibi veritas quia *Spiritus*  
*veritatis*. *Job: 14. v. 17.* ibi virtus, quia *Spiritus vir-*  
*tutis* *1. Tim: 1. v. 7.* ibi adoptio, quia *Spiritus ad-*  
*optionis* *Rom: 8. v. 14.* ibi sobrietatis studium, quia  
*Spiritus sobrietatis* *1. Tim: 1. v. 7.* ibi conſortio quia  
*Spiritus consolationis* *Job: 14. 16.* Hic domicilium  
suum sanctificat, quia *Spiritus sanctificationis* *Rom: 1.*  
*v. 4.* regenerat, quia *Spiritus regenerationis* *Job: 3.*  
*v. 6.* renovat, quia *Spiritus renovationis* *Tit: 3. v. 5.*  
justificat, quia *Spiritus justificationis* *1. Cor: 6. v. 1.*  
vivificat, quia *Spiritus vivificationis* *Rom: 8. 12.*  
O largam munificantiam! O benignam largitatem!  
Potentiam suam notificat, miraculis praesentiam su-  
am confirmando. Adventante *Sanctificatore* miracula  
funt in cœlo, miracula in terra, miracula in igne, mi-  
racula in aere, ubique miracula fuent. In cœlo fuent mi-  
racula. Ut enim filium DEI vidimus ascendentem; Sic  
jam *Spiritum Sanctum* videmus descendenter, super  
Apostolos sedentem, in corde fidelisibi habitaculum  
quærentem. In terra fuent miracula: mutantur disci-  
pulorum linguae in tibias, comæ in ignes, tota domus

in Spiritus Sancti tabernaculum. In igne sunt miracula: Qui naturaliter adscendit, hic præter naturam descendit; naturaliter comburit, hic supernaturaliter conservat, per naturam omnia devastat, hic contra naturam omnia ædificat. In ære sunt miracula: Repentinus ventus auditur, qui tamen non terret, vchemens aura sonat, nec sentitur impetus, cœlestis venit Spiritus, & corda terrestria movet, sovet, hæc singit, refingit, hæc efformat, exornat. Ubique sunt miracula: omnia magnalia Dei profitentur, sonat ventus, loquuntur ignis, ardentes comæ, linguae persistunt. O magnificentissimam potentiam! O potentem magnificantiam! Iudæi olim suam Pentecosten magni faciebant, in quâ legem acceperunt: Nostram non magnifaciamus Pentecosten, in quâ Spiritus Sanctus effunditur? illic mæror, hic lætitia: illic terror, hic solatium: illic ira, hic gratia: illic metus, hic tranquillitas: illic mors, hic vita. O charissimi, gaudete in Domino, ob gratiam; magnifacite Dominum ob magnificentiam; stupescite ob Domini potentiam. Ah quanta præ veteribus nobis exhibita est benignitas! quanta benignitatis largitas! Excitet hæc nos ad hujus festivitatis debitam celebrationem, juxta Pauli exemplum imitatione dignissimum Act: 20. 16. juxta consuetudinem & usum antiquissimum, Tertull: lib: de coron; milit: p. 417. teste vetustissimo: juxta conciliorum decretum æquissimum, Nicen: tom. 1. concil: p. 152. c. 20. Elibertini: Tom: 1. concil: p. 169. can. 43. Vos, qui Spirituales, qui Nostri esitis, Vos paternè hortæ muræ ad sanctos sanctorum hominum cœtui, in quo Spiritus Sancti sedem sibi elegit: præbere patulas aures verbi divini præconibus per quos Spiritus veritatis loquitur: sequenti ductum Spiritus sancti, qui vos per veritatem ad æternam dicit beatitudinem.

Nos

Nos, nostri officij memores, in vestri gratiam & informationem errantium, quantum programmatis ratio permiserit, thema explicatione dignum, nec ab hac festiuitate alienum tractatur, demonstrabimus, Apparitiones Spirituum & animarum hoc tempore soies à Prophetis; seu Fanaticis Novellis decantatas, quibus fidem stabilunt, vitam conformant, esse incertas, falsas & periculosas.

Si unquam, nunc certè observandum D. Johannis 1. Job: 4. v. 1. monitum, & Spiritus probandi, an ex DEO sint, quô Satanam Patrem mendacij Job. 8. v. 44. à larvato discriminemus lucis Angelo. Hoc enim tempore multisurgunt Pseudo-Christi, Pseudo, Prophetæ & dant signa magna, & prodigia magna, quibus multi in errorem ducentur Math: 24. v. 24. His Pseudo-Prophetis meritò annumeramus illos, qui seipso illuminatos, Theosophos ( Scilicet ! ) nominant, apparitiones Spirituum & animarum expectantes, colloquia Angelorum jactant, quibus doctrinæ capita stabilunt, pietatem informant, ordinaria vero salutis media negligunt.

Nolumus hic prolixè ipsorum verba, quibus animi sui sensa apertius proloquuntur, allegare, sed veritatis studiosum remittimus ad Theophrastum Tom: 1. p. 318. Tom: 4. p. 354. VVeigelium Postil: 2. pars: pag: 85. & alios, qui hunc errorem frequenter inculcant. Nullatenus tamen dubitamus primum hoc dogma in Papatu excogitatum fuisse, qui magno numero historias de apparitionibus Spirituum & animarum è coelo & purgatorio redeuntium in suis scriptis recensent, uti videre est apud Bellarminum lib: 2. de purgatori: c. 8. p. 125. S. Quod expurgatorio, Gregorium de Valentia Tom: 4. diss: 11. q. 1. punct: 2. Mone-

Monemus vero, hic non esse questionem de possibili-  
tate: Nam posse Spiritus & animas, si DEO visum  
fuerit, appareat, quis dubitaret? sed deat tu: cum posse  
& velle in DEO quidem idem sunt si essentiam dei-  
tatis, non si providentiam ordinis ac dispositionis  
species, docente Arist; lib. 12. Metaphys. Actum Fan-  
nici modernum cum Pontificijs defendunt. Nos vero  
simpliciter dicimus, hujusmodi apparitiones esse in-  
certas, falsas & periculosas.

IN C E R T A S. Quia nullo idoneo argumento  
assertionem probant. Producunt quidem exempla e Sa-  
cro Codice, & rationes quasdam; verum nec exem-  
pla nec rationes quicquam probant. Nam i. exemplum  
Samuelis, Regi Sauli apparentis i. Sam: 28. v. 14.  
(de quo vide Lyram in b: l. Martin. Delrio lib: 2. q: 6.  
disq: Magic:) ad rem non facit. Et enim verum hic ap-  
paruisse Samuelem Rabinorum est traditio; quibus  
Mosis velum adhuc ob oculos est, 2. Cor: 3. v. 19. ut  
nihil mitum si hic instar talparum cœculant. Quod  
enim Samuel vocatus sepulchro verus non fuerit, id  
constat ex effectu sermonis, quem habuit fictius ille  
Samuel, quo Saul ad desperationem abducebatur.  
Nullus verus Prophetæ sermone suo ad desperationem  
ducit. Qui ergo fecisset hoc Samuel verus. Diaboli  
opus erat qui sub titulo boni Spiritus mortales ludifi-  
care & decipere solet. Patet spectrum fuisse, non ve-  
rum Samuelem ex responsione denegatione. Noluit enim  
DEVS Saulum docere per Somnia, neque per Sacer-  
dores, neque per Prophetas v. 6. quod certè erat ma-  
nifestum iræ divinæ signum. Multominus ergo docce-  
re voluit per visionem Samuelis. Hoc R. Kimchi sux  
religionis socijs commode objicit, ut annotat

Munsterus in h: l: Samuelis, his verbis: Si DEVS  
suscitavit Samuelem, ut futurum eventum indicaret  
Sauli, cur eventum illum non magis revelavit per  
sonnia aut per Prophetas aut per Sacerdotum oracula,  
quam per maleficam mulierem? Igitur hic nihil ali-  
ud fuit quam **רַבְרִיכָה** h.c. vanitas & verba men-  
dacijs. Fictum fuisse hunc Samuelem ex gemino incon-  
veniente demonstratur. Nam 1. ille Samuel hic intel-  
ligitur, apud quem fuit Saul v. 19. Quis vero affir-  
maret Saulem fuisse apud verum Samuelem, quia ex  
desperatione DEI gratiam amisit, & vitam funesto ac  
tragico exitu clausit? Verus itaque Samuel hic non in-  
telligitur. 2. Si verus fuerit Samuel magicis illic attrib-  
bus fuit è terra suscitatus v. 11. Sed hoc afferendum  
non est quippe quod animæ piorum, quæ in manu  
DEI sunt Sap: 3. v. 1. & requiescent à laboribus suis  
Apoc: 14. v. 13. imperio Satana non subjectæ sint. Er-  
go nec statuendum, quod verus hic fuerit Samuel.  
Hanc rationem urget Augustinus tom: 4. quest: 27. ex  
utroque Testamento p. 715. D: Indignum facinus ætri-  
mo, si secundum verba hitorie commendetur assen-  
sus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica aie-  
traheretur Vir à matribus sanctus, & vitæ operibus  
iustus? Aut si non attrahens est, defensisti? quod utrum-  
que de viro iusto esse absurdum est. Si enim invi-  
ritus adduxi us est, nullum suffragium habet justitia. Si  
autem voluntarius, amissit meritum spiritale, quod  
positus in carne quæ siverat: quod valde absurdum est,  
quia hinc qui iustus recedit, permanet iustus. Porro  
autem hoc est prærogativum Saranæ: quia ut plurimos fal-  
& alios, quæ ibi sequuntur Augustini verbis arguiè-  
fan-

fanaticorum hujus sententia assertores strigunt. *In Canonicum Caus. 26. quest. 5. cap. 14. pag. 902.*

Non urgemus jam, quod hæc expositio impugnet morem D E I, qui non docet per mortuos, nunquam docuit, nec se doctorum promisit. At objiciunt.  
1. *Quod in responsione Samuelis evocati, aliquoties fiat mentione nominis Jehova, uni & soli D E O Essentialis, ad quod alias Diaboli contremiscunt, nec audire sustinent.* Verum nullum est D E I nomen, quod Diabolus refutat: neque ipius *JESV CHRISTI Math. 8. 29.* non oraculorum sacrorum myrothecia, non benedictiones aut characterum, quasi, sacrorum impressiones, non Christi æmulatione expressas actiones exhorret ulla, præsertim ubi videt in præsentationibus hæc & similia adhibita vergere ad D E I ignominiam Christique contumeliam & facere ad obducendum glaucoma imperitorum oculis, ut eò facilius in opinione demententur, omnia modo fieri sancto & sacris convenienti & ne tantillum fraudis ipsis suboleat, ut potè qui perswasum habent, nec synergon in ijsesse Codicem monem. Imò non ignota sunt exempla, quibus ipse met inspiravit. Distingvimus itaque inter factum & finem facti, qui Diabolo nullus alius, quam ut in fraudem pelleat homines eosque decipiatur. 2. *Quod mortem Samoris & filij ejus verè prædixerit.* Quasi magnum sit Diabolo, inquit *Augustinus l. ante c. ante diem occasum corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris: quippe à quibus D E I protectio amota videatur: quæ gto magis Diabolus quem angelicam majestatem sublimem prophetica oracula fuisse testantur,* de cuius magnitudine Apostolus ait: *an ignoratio magni-*

magnitudinem Satane : quid mirum ergo , si immen-  
tem propemortem potuit prævidere , cum hoc si unde  
fallit & se in DEI potestate vult adorari ? Igitur facile  
Satan Saulo mortem prædicere potuit è multis conje-  
cturis ac causis , jam scèrè in actu positis . 2. Exemplum  
Mosis & Elie Matb. 17. v. 3. qui in transfiguratione  
Christi Thaboræ apparuerunt , & cum Christo colle-  
cti sunt , planè alienum est . Maxima enim hic est di-  
sparitas : Hæc DEVM habet autorem , & fundata in  
scriptura est : Illæ , quas jaçant Fanatici , sunt Dia-  
bolo procurante & DEO , ob verbi contemnum per-  
mitentes . Hanc DEVVS liberaliter voluit : Illæ DEVVM  
velle nec scripturæ dictis , nec exemplis nec rationi-  
bus probant . Deus autem quæcumque vult facit , teste  
Psalte Psl. 115. v. 3. Præcedat voluntas , priusquam  
consequatur factum . Hæc ratione apparitiones Fana-  
ticorum dicimus simpliciter difficiles , non quia non  
potest , sed quia non vulnus DEI enim posse , velle est ,  
& non posse , nolle ; quod autem voluit , & potuit &  
ostendit , inquit Tertull lib: advers. praxeam: p. 335.  
Rationes pro sua sententia proferunt Fanatici , sed  
verè futilneas . Dicunt enim I. Esse hujusmodi appari-  
tiones extraordinarias & miraculosas . Sed miracula illa-  
hæc ultimis temporibus sunt medium multiplicis  
deceptionis Satanicæ , quod prudentissimos quosque  
in Ecclesiastico pariter & politico statu in errores præ-  
cipitare potest . Exemplum memorabile de Magdalena  
Cruzia Hispana refert ex Casiodoro Reinio Zwingeri in  
Theatro p. 1334. b. sequ. Igitur nemo hujusmodi ap-  
paritionibus , quæ extraordinariæ ac miraculose sunt ,  
fidere ac fine metu æternam salutem concedere potest .  
Sunt quoque miracula ultimis mundi temporibus no-  
ta Seductoris Pseudo prophœtæ & Anti Christi , cœva-  
ticias

elicia Christi Math: 24. v. 24. seq: Pauli 2. Thess: 2.  
v. 9. 10. Johannis Apoc: 13- v. 18. 14. Ergo dum appa-  
ritiones Spirituum & animarum miraculosè fieri Fa-  
natici affirmant, quidaliud agunt, quam quod scipios  
Seductores , Pseudo prophetas & Anti Christi Satelli-  
tes esse, demonstrant. 2. Exactè & nomine & formæos  
referre, quorum se animas esse profitentur. Verum distin-  
guitus inter nomina & formam quoad apparentiam,  
& inter ipsam veritatem: Solet & ipsa scriptura ima-  
ginibus nomina rerum ipsarum tribuere, non tamen  
imagines res ipsæ sunt. Pharaon vidit septem aristas &  
vaccas, quæ tamen nudum erant somnium Gen: 41.

F A L S A S 1. ob rationes sequentes: Quia scriptura  
sacra contrariantur, quæ solum DEVM consulendum  
esse docet, Ita enim Esaias cap: 8. v. 19. 20. Cum dixe-  
rint vobis, quærite à Pythonibus & à divinis, qui  
strident in incantationibus suis. Nūquid non populus  
à DEO suo visionem requiriat: pro vivis à mortuis?  
Ad legem magis & testimonium: quod si non dixerint  
juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Imo  
Epuloni, informationem per Spiritum & animam de-  
mortui Lazari, in gratiam quinque suorum fratrum,  
petenti, simpliciter denegatur, & ad audiendos Mosen  
& Prophetas remittuntur Lue: 16. v. 27. Ubi verbi mi-  
nisterium tanquam sufficiens salutis nostræ medium  
commendatur, hoc si audiunt homines possunt cor-  
mentia infernalia subterfugere v. 29. E contra non ne-  
cessariam vel inutilēm esse docendi rationem, quæ fit  
per apparitiones Spirituum & animarum, quia Mo-  
sen & Prophetas qui non audiunt, neq; si quis ex mor-  
tuis resurrexerit, credent v. 31. Gentium Doctor  
Gal: 1. v. 8. monet omnes ne quidem Angelos audiantur

Et licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis,  
præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit.  
Ergo multò minus audiendi Spiritus apparentes, præ-  
seruum cum sæpè res verbo DEI è diametro contrarias  
proponant. Cum scriptura itaq; partitiones stare non  
possunt. 2. Quia fortuna ac statutus spirituum & anima-  
rum & bonorum & malorum, & beatarum & damnata-  
rum simpliciter repugnant. Boni Spiritus & beatorum  
animæ vivere & requiescere dicuntur in sinu Abrahæ,  
*Luc: 16. v. 22.* in domo Patris *Joh: 14. v. 2.* cum Christo  
*Phil: 1. v. 23.* in cœlo *Phil: 3. v. 20.* ubi sunt Enoch  
*Gen: 5. v. 24.* & Elias *2. Reg: 2. v. 11.* Malii Spiritus &  
damnatorum animæ tormenta patiuntur in inferno  
*Psal: 49. v. 15.* in tenebris extremis *Math: 22. v. 13.* in  
carcere *i. Pet: 3. v. 19.* in inferioribus terræ, quod vivi  
descenderunt Coré, Dathan & Abiton *Num: 16 v. 13. 33.*  
ubi vermis eorum non morietur & ignis eorum non  
extingetur *Ez: 66. v. 24.* Probabile vero non est, bo-  
nos Spiritus & beatorum animas velle statum beatifi-  
tudinis relinquere, se terrenis rebus, & curis misce-  
re, in terris oberrare. Nec ullibi legitur post Christi  
in cœlum ascensionem hos missos fuisse è statu beatifi-  
tudinis ad informationem vivorum, sed potius mo-  
nemur, ne quis nos seducat in humilitate & religione  
Angelorum *Cal: 2. 13.* idq; propterea, quia se Satanæ  
in Angelum lucis transfigurat *2. Cor: 11. v. 14.* De ma-  
lis ac damnatis res plana est, quod ex inferno transire  
non possint, sed sub judice & tortore maneant *Luc: 16.*  
*v. 26. 3.* Quia ob nullum utilem aut necessarium finem ap-  
parent. Pontificij cum modernis Fanaticis, finem  
constituant instructionem vivorum; qui tamen nulium  
obtinere poterit locum. Nam Spiritus & animæ au-

DEO consentiente & mittente apparent, aut motu proprio: si hoc, deceptores sunt, non Doctores. Si illud, quomodo de eo nos indubitate certos reddent? Iuxta nullum hujus rei testimonium, nullum promissum, nullum exemplum. Contrarium verum esse vel inde constat, quod ad Prophetas & Apostolos vivâ voce & scriptis docentes passim remittamur, nulla usquam nuntio fiat Spirituum vivis apparentium, nec exempla sanctorum extant, qui hujusmodi Spirituum informationem ut salutarem experient, velearum doctrinam, ut à DEO profectam receperint. Habemus hic Pontificios confitentes, Hoffmeist: in cap: 16. Luce: 9: 7. Cornelium Ians: in cap: 16: Luce: 6. 97. concord:

PERICULOSAS. Periculi prolixam demonstrationem alibi dabimus, cum eam jam prohibeat programmatis ratio. Nunc observetur. 1. quod ejusmodi apparitionibus salus nostra aeterna ludibrio Satanae exposatur. Præmonuit nos Christus, circa postrema tempora multos surrecturos Seductores. Attendere jubet Paulus ne circumveniamur à Satana. Nec desunt seductorum exempla manifesta, quæ recitat, & modos, quibus Satanæ homines eludere solet, ostendit Cornelius le Lapide in 2. Cor: 11. v. 13. Caveamus itaq;, ne nos Satanæ apparitionibus circumveniant, quibus fidem & vitam nostram tentare vult. 2. Quod ejusmodi apparitionibus Religio nostra infidelibus deridenda exponatur. Cam anniles fabulae populo credende proponuntur, quis non intelligit, quod Religionis mysteria incredibilis ludibrium proponantur? Quodanima Paschalij in thermis purgatorianis apparuerit S. Germano Episcopo, & ejus præibus liberata sic referunt Pontificij. Proh DEU! anima in thermis? ad quid anima in thermis? 3. Quod ejusmodi apparitiones levitatem testensur eorum, qui

qui hinc fidem adhibent. Eruditè Bonaventura in 3. sent:  
dist: 2. Non debet homo omni spiritui credere, sed  
probare, qui ex DEO sunt. Qui enim citè credit in  
talibus, Iesus est corde, & fortassis etiam inflatus  
corde, dum ad tales visiones & revelationes idone-  
um esse existimat. Sed concludimus, dicentes;  
*Apparitiones Spiritum & animarum nos de fide & vita*  
*instruentium, esse incertas falsas, & periculis.*

Nos, qui spiritum sanctum, Doctorem veritatis,  
expectamus, fugemus omnem doctrinæ falsitatem,  
vitæ impuritatem, Tegat sordes pravi operis, qui DEO  
preparat domum mentis. Certi sumus, omnem homi-  
nem accipere spiritum sanctum, sed quantum vas fi-  
dei attulerit ad fontem, tantum implet. Ut signum  
habeamus & fidei & per fidem ingredientis spiritus,  
corpora nostra mancipemus dominicis preceptis,  
diligamus proximum, tribuamus superiori obediens-  
tiam & reverentiam, æquali consilium & auxilium,  
inferiori custodiam & disciplinam. Tunc ad illam su-  
pernæ frequentia latitudinem perveniemus, de qua nunc  
spiritum sanctum pignus accipimus. Ad istum finem  
toto amore tendamus, in quo sine fine trahimur. Ibi  
superiorum civium societas sancta, solennitas certa,  
ibi requies secura, ibi pax vera, quæ jam nobis da-  
tur per dominum J E S U M C H R I S T U M,  
qui vivit & regnat in unitate spiritus sancti  
DEVS, per omnia secula seculorum Amen.

IN SOLENNES & SACRAS  
SPIRITVI FILII DEI  
FERIAS.

**Q**ualibet in Triados numero persona necesse est  
Ut ritè cognoscatur à terra in colis,  
Quos in sublimi rādians Sol undig lustrat,  
Blandisq largus mulcet influenij.  
Nam sine noticiâ , superi qua namina tractus  
Spectas , salutis haud asylum suppetit.  
Nec via monstratur , quæ recta ducat ad astra ,  
Ubi celsa sedes Patris est Olympici.  
Obruta lugebat quondam gens hisce tenebris ,  
Abducta veri longius de tramite.  
Hec sacra Spiritui currentia tempora Sancto  
Lustremus , ad D E U M levantes pectora .  
At fidei nobis fundamina certa manebunt ,  
Qua nulla turbando procella diruat ;  
Nempe quod ex sacro cognoscere dogmate celsum  
Cæpisq dijs Flamen hocce debeas :  
Et quod ob has causas merito peruvolvere fas sit  
Tam scripta , quam stupenda facta Numinis ,  
De quibus in coetu gentis , que dedita C H R I S T O :  
Nos eruditæ conciones instruunt .  
Scripturæ clarum consignat nomina lumen .  
Quod S A N C T U S hic vocetur & sit S P I R I T U S ;  
S P I R I T U S & D O M I N I , quo non excelsior alter ,  
Qui non creatus languido ex primordio .  
Qui D E U S ex uno procedens stemmate , quod vel  
Nati Patrius ve dixeris substantiam .  
Id docet hic scripti verissima littera verbi ,  
Qui Flamen autor atq doctor optimus .  
Hinc igitur longè perversum dogma recedat ,  
Errore passim quod refutum plurimo :

Quod

Quod sub praetextu veri mendacia vendit;  
Nec pandit alta Numinis Spiracula,  
Atq; effecta, Dei quadexiera sola gubernat;  
Nec amulari vis creat anoverit.  
Hoc eadem pulchri testatur fabrica mundi;  
Et magna prædicat Jehovæ robora.  
Cernito vel Solis cursum, vel Cynthia quò se  
Subducat, orbis angulos dum permeat.  
Quin stabilitas rerum series, ac lumina cœli  
Immensa facta spiritus depradicant:  
Quodq; infallibili nisu, qua continet orbis,  
Scopum ad petitum luce ducat prævidit.  
Solus hic humani constans est unio cœtus,  
Quo tendit usq; vastatellus brachia.  
Semina rixarum radicibus eximit agris,  
Quos lenis aura commovendo tertiat.  
Hoc opus hanc fausto confectum fidere quisquam  
Pronunciaret veritatis inscius:  
Sed cum vox divina simul testetur amorei,  
Quo quemq; nostrum suaviter complectitur.  
Novimus hunc vivum doctorem in corde piorum;  
Quod vocere recreat, cœlico ceu nectare.  
Promissisq; sacris animos, discrimina vertens,  
Attollit, assistentia & presentia.  
Nec tibi sit mirum, quod remplâ sacraa Jehovæ  
Sint corda populi dediti rebus sacris.  
Hac habitat veluti preciosa palatia geminis;  
Sibiq; veluti competens peculium.  
O immensa D E I bonitas! clementia magna!  
An hocce Numen dices absconditum?  
Mens pia nunc sursum meditando corda levato;  
Per hasce flammulis coruscas ferias.  
Respic, num gremio telluris turba superstis,  
Cui tanta fulserit repente gratia.

Nec

Nec te commoveat, quod adhuc sint secula Martis,  
Novum seva tenet ardor prælia,  
Ex simili placeat verum comprehendere sensum:  
Quo lucis in mundo minus confixeris,  
Major eò densis circundabit umbra tenebris  
Soli polig, raptæ viæs lumina.  
Quo minus eluet divini candor amoris,  
Eò manebit crebrior discordia,  
Jurgia quam subito, violentaq; pugna sequuntur,  
Cruoris innocens ac effusio.  
Talia sed nunquam committunt ausa fideles,  
Qui templo Spiritus Jehova maximi,  
Nam melioris eis vita spes fulget, iniqua  
Hinc multa tolerant, at D E O sub vindice.  
Quocirca nobis caræ sint temporis horæ  
Sacri, quoq; innis quæ semel nos admonent,  
Ac vim scriptura monstrant, Flatusq; favorem,  
Qui celsa superi tecta cœli condidit.  
Sic eterno nobis constabit, vera salutis  
Quanam perenda sit misellis anchora;  
Nec post bacillus seduces de vius error,  
Et deesse poterunt non cuiquam gaudia,  
Qualia pertinent animos, qui cœlica tempe.  
Favente Jova Spiritu, nunc occupant,  
Atq; D E I laudes claris concentibus augent  
Per aviternas seculorum secula.

M. Christophorus Eilardus  
P. P.

ANNO 1636

